



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,
& Decretorum ad Officium ...**

Urban <VIII., Papst>

[Romae], 1645

Decreta S. Congregationis Concilij. S.mi D. N. Urbani Divina Providentia
Papae VIII. Avthoritate Edita De Celebratione Missarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10826

DECRETA

S. Congregationis Concilij.

S.^{MI} D. N. VRBANI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE VIII.

AUTHORITATE EDITA

De Celebratione Missarum.



VM sæpè contingat, in quibusdam
 Ecclesijs tam magnum Missarum
 celebrandarum numerum ex varijs
 defunctorum relictis, aut piorum
 elemosynis impositum esse, vt il-
 lis pro singulis diebus præscriptis
 nequeat satisfieri; & tamen noua onera Missarum
 in dies suscipiantur; indeque fiat, vt depereant piæ
 testantium voluntates, obstricta benefactoribus fi-
 des violetur, defunctorum animæ suffragijs priuen-
 tur, Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Chri-
 stifideles graui scandalo affecti, plerumque à simili-
 bus charitatis operibus retrahantur: Cumque his
 malis maximum inter cætera fomentum præbeat,
 aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas sus-
 sciipiunt, sperent illas breui ad pauciores numerum
 à Superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesijs
 forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda re-
 maneant onera Missarum absque vllò emolumen-
 to; aut quòd elemosyna pro illis celebrandis sit
 adeò tenuis, vt non facile inueniantur, qui velint
 huic se muneri subijcere, & redditus Ecclesiæ, aut
 Monasterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro neces-
 saria sua sustentatione nouis se oneribus obstrin-
 gere compellantur: SACR. CONGREGATIO
 CARD. CONCIL. TRID. INTERPRETVM
 animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam,
 charitatisque ac iustitiæ maximè consentaneam, si
 pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è
 Christiana Republica conuellere, atque eradicare;
 Sanctiss. D.N. VRBANI Diuina Prouidentia Pa-
 pæ

pæ VIII. autoritate sibi specialiter attributa infrascripta Decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re, diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quarumcunque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Cōuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscunque tam secularibus, quàm regularibus, SAC. CONGREGATIO sub attestatione Diuini Iudicij mandat ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationē attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauitèr peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactiùs, SAC.
CON-

CONGREG. eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam secularibus, quam regularibus cuiuscunque Ordinis Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplēdis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint utilitate coniuncta: statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes eandem Sacram vel personam, fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fru-

fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione
 oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem
 bona immobilia, auctoritate Apostolica deinceps
 alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem
 pœna, vt supra deponi, atque in alijs bonis itabi-
 libus itidem fructiferis, cum eisdem oneris repeti-
 tione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc SAC. CONGREGATIO quibusuis Ca-
 pitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationi-
 bus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac
 piorum locorum, tam secularium, quam regulariũ
 Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè
 prohibet, ne impostero onera perpetua suscipiãt
 Missarum celebrandarum: seculares quidem sine
 Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares ve-
 ro sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & li-
 centia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin
 seculares, qui huius prohibitionis transgressor ex-
 titerit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso:
 Regularis verò pœnam priuationis omnium offi-
 ciorum quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabili-
 tatis ad alia de cætero obtinenda, vocisq. actiue, ac
 passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Elec-
 mosynas verò manuales, & quotidianas pro Mis-
 sis celebrandis, ita demum iisdem accipere possint,
 si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt no-
 ua quoque onera suscipere valeant: alioquin om-
 ninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam
 spontè oblati, infuturum recipiendis, & capsulas
 auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, Elee-
 mosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœ-

his ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus vero, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quã eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamq. rationem habeant vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ; intelligantq. si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in Nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò ILLVSTRISS. PATRES, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemosynæ cuiusq. Monasterij: Inhærentes Summorũ Pontificum, ac Sac. Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctiss. D.N. autoritate præcipiunt ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum,

nentium, ac Domorum regularium bona immo-
 bilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscū-
 que Ordinis, Congregationis, & Instituti existen-
 tium intra fines Italiae, & Insularum adiacentium,
 vt singuli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia,
 adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordi-
 nis, vel Congregationis probatoribus, & rerum vsu
 peritioribus, bona immobilia, census, redditus, &
 prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, &
 obuentiones, tam communes Monasteriorum, Cō-
 uentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quam
 etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu
 permissas, in communem vsu deinceps, conferē-
 das, decem annorum immediatè præcedentium ha-
 bita ratione diligenter, & maturè recognoscant, ijs
 omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes,
 grandines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis
 onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scrip-
 to fidehiter exarata, idem Superior, cuius interest, in
 proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel
 prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Ca-
 pitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui
 computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, &
 obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra de-
 tractis, sedulò examinent, quot religiosi homines,
 connumeratis etiam laicis, alijsq. necessarijs ser-
 uientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, &
 Domo regulari, iuxta regionis, & proprii instituti
 morem, victum, & vestitum, & medicinalia in com-
 muni habentes, competenter valeant sustentari.
 Tum eorundem bonorum, reddituum, eleemosy-

narum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant; vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne vero Superiores qui id præstare debent, seriùs aut remissiùs, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat SAC. CONGREGATIO, vt infra annum, post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant: Numerumq. familiae, singulorumq. Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & autoritate præfinitum, ijdem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuo seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacrae ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum vt supra præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuae, ac passiuæ, & ad omnia suæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus

ribus

ribus à Sede Apostolica infligendis pēnis, Sac. Congregatio subiaccere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi, recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare nō poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodę iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllò vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis, curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secūda post primam Dominicam Auentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentis ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocunque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, &

singula in presentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Io. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tam secularium, quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegijs quoque, indulgis, & litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsq. efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, & forma in illis tradita obseruata, inserti

fo-

forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permãsuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis suæ autoritate, & specialiter, & expressè derogat, cæterisq. contrarijs quibuscunque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem SACRA CONGREG. vt præsentibus Ordinationes in valuis Basilicarum, S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, oēs ad quos pertinet, ita arctët, & afficiant, ac si vnicuiq; personaliter intimatæ fuissent. Vtque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Signi.

Prosp. Fagnanus Sac. Congr. Secr.

Anno Domini nostri IESV Christi 1625. Indictione octaua, Pontif. autem in Christo Patris, & D. N. D. Urbani diuina prozidentia Papæ VIII. anno eius tertio, die vero 22. mensis Septemb. superscripta Dec etia affixa, & publicata fuerunt, ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis,

L 4

✠

& Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Cäpi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Emilianum S.D.N. PP. Curs.

Brandimartes Latinus prælibati S.D.N. PP. ac S. Roman. & Vniuersalis Inquisitionis Curs. pro Mag. DD. Curs.

DECLARATIONES ALIQVOT SACR.
Cong. Concilij S.D.N. Urbani Papæ VIII.
authoritate editæ super Decretis eiusdem
Congregat. de Celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quomodolibet, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis.

Quaritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderazione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis

his Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci personarum, ac temporum Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualementem eleemosynam, pro Missis votiujs, aut defunctorum, recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quòd Testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Missæ, absque vlla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

Sep-

Septimò, super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosyna sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini hostiæ, & similibus?

Octauò, An hoc Decretum habeat locum in Beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, An Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt. An verò satis, sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Vndecimò, super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum ijsdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat absolute,

tè,

rè, quo minus accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam, ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipiunt?

Decimoquartò, An in hoc Decreto comprehendantur illæ capsule, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (casse de' Morti?)

Decimoquintò, An Administratores Ecclesiæ magne deuotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimosextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam secularium quàm regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& alijs, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimosseptimò, super septimo eiusdem Sacrae

Con-

Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis Decreti san. mem. Pauli V. absque tamen computatione reddituum cuiusque Religiosi, sit denuò facienda, necne?

Decimooctauò, An Nouitij, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus, habita vt supra, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimononò, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinaria.

Quæritur, An hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrat. Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis IESV?

Vltimò, An idem Decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an vero etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, autoritate sibi à Sanctiss.

ctiff. D. N. attributa, ad singula Dubia superius pro-
posita ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilo-
minus, pro reductione oneris, vt supra, impositi
ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse,
adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod
magis in Domino è re esse iudicauerit; Verumta-
men si in ipsa Beneficij erectione expressè cautum
fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reduce-
re, ac moderari, legem hanc foundationis, quam De-
creta hac de re edita non sustulerunt, esse ualidam,
& obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione
facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem
ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam nu-
merum Missarum celebrandarum non præscripse-
rit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscri-
pserit Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis,
uel Prouinciæ.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes quibus diebus tenen-
tur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ,
legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam
Missis celebrandis susceperint, non posse eadem
Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad Quintum, censuit, ubi nullam certam elee-
mosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præ-
scribendam eleemosynam congruam, quæ respon-
deat oneribus Missarum celebrandarum, secundum
morem Ciuitatis, uel Prouinciæ.

Ad Sextum, ita esse intelligenda.

Ad

Ad Septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere ualorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subcundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad Octauum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum, respondit, non prohibere absolute: Ac propterea, etsi oneribus iam susceptis satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen

men

men tribuens eleemosynam, pro aliarum Missarū celebratione, id sciat, & consentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis iuxta Benefactoris consensum, celebrandis.

Ad Decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarū sine licentia Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad Decimum quartum, comprehendi.

Ad Decimum quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimum sextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad Decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad Decimum octauum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad Decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad Vltimum, habere locū etiam extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

DE-

DECRETA S. CONGREGATIONIS
 Concilij de Regularibus Apostatis,
 & Eiectis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiektorum, & fugitiuorum statui consulere, illorumque scandala summouere, & succrescentem numerum frangere opera pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, req; diligentissimè perpensa communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suae facultate, infra scripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta semina, è quibus prauis eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps nè serantur in vinea Domini, censuit, esse innouandas, & Sanctissimi authoritate innouat Constitutiones, & Decreta generalia sanct. me. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia: Districtèq. præcipit Generalibus, atq; alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in ijsdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasterijs ad Nouitios recipiendos hætenus designatis, & approbatis, seu impofterum designandis, & approbandis Nouitij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione Reformationis Apostolicæ,
 vel

vel à proprijs locorum Ordinarijs expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout, authoritate Sanctissimi Domini Nostri, absoluit, atque exemit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præripatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè cõstitit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis, recta se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatae, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loco, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus cõsignari, secundum regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atque efficere, vt apprehendantur; salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij cap. 3. sess. 6. Quod si Apostatae huiusmodi citra montes infra quatuor, vltra mōtes vero infra octo menses à præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua spontè ad suã quisq; Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiã inflictarũ, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & co-

M ram

ram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluerè, & paternâ charitate complecti.

Ad hæc, vt imposterum è Religionibus nullus legitimè professus eijci possit; nisi sit verè incorrigibilis; verè autè incorrigibilis minimè censeatur, nisi nò solū concurrât ea oia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cuiusq; Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apost. approbatis, & confirmatis: verum etiam vnus anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum patre eijci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio; & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum, & Constitutiones, processu & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereâ tamen vsque ad primū generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra

fra quatuor mēses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic verò eiecti, quandiū non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeq. Generalis illicò expulsionis sententiam, eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterū, Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per IESV CHRISTI viscera obtestatur, vt, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quem profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribūt, Dominus Noster IESVS CHRISTVS in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, ut eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Constitutionem fel. record. Gregorij Noni relata in cap. fin. de regul. ac

propterea declarat, eam Cōstitutionem in ijs quoque uendicare sibi locum, seruandumq. esse, qui iuste, diffinitiuèque, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dūmodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidentis emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio setiò oneravit,

Ne qua uerò difficultas in superscriptis decretis, & ordinationibus exequendis suborietur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, uniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus quorumcunque Ordinum, uel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubique locorum existentium iniungit, seriòque mandat, ut illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cænobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus, quorumcunque Monachorum, ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque ut tam Decreta supradicta fel. recor. Clementis VIII. quam præsentis Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa:

Si quis uerò ipsorum aduersus ea, quæ superius transcripta sunt, uel eorum aliquid, quoquomodo facere, uel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, uocisq. actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ

in-

inhabilitatis ad illa impofterum obtinenda, pœna-
 que huiusmodi fit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostoli-
 cæ refervata, ijsdem Superioribus, etiam Genera-
 libus, & Protectoribus illam moderandi, seu rela-
 xandi potestate penitus interdicta, & nihilominus
 fit irritum, & inane quicquid fecus, à quoquam,
 actum extiterit. Non obstantibus Constitutioni-
 bus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem,
 quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam
 Mendicantium, quàm non Mendicantium, Con-
 gregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Do-
 morum, ac locorum Regularium quorumcumque
 necnon illorum etiam iuramento, confirmatio-
 ne Apostolica, vel quavis firmitate alia roborata
 statutis, vel consuetudinibus, etiam immemo-
 rabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & pri-
 vilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex cau-
 sa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis cõ-
 cessis etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs
 nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & for-
 mis, & cum quibusvis etiam derogatoriis dero-
 gatorijs, alijsq. efficacioribus, & insolitis clausulis,
 necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio,
 & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis ple-
 nitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam
 communicationis, seu extensionis concessis, & ite-
 ratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro
 illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque,
 totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua,
 ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas
 generales idem importantes, mentio, seu quavis
 alia

alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbū, nihil penitus omisso, & forma in illis radata obseruata, inserti foret, præsentibus pro expressis habēs, quibus quò ad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis Suae auctoritate, derogat, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Cardinalis Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

DECRETA GENERALIA
fel. rec. Clementis Papæ VIII.

Ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia aliàs facta, & publicata.

De Nouitijs ad habitum Regularium, & professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum iuxta nostri muneris debitum laborare

re non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quòd in omnibus Conuentibus, ijs præsertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Vnde fit, vt quò magis Nos varijs constitutionibus malè affectas radices amputare studemus: eo magis in dies deprauata, infructuosaq. eiusmodi nouiter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsentì Decreto statuimus, districtèque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, cæterisq. Superioribus Conuentuum intra Italiae, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in Conuentibus auctoritate nostra propediem in vnaquaque Pro- uincia designandis. Insuper sancimus, vt quoad eiusmodi Conuentus, vt præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes prælatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Nouitiorum, siue ad habitum, siue ad professionem omnino abstineant. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq. adiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se nouerit incurrisse, ac alijs etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quolibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irri-

tas ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, Statutis, & consuetudinibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus. Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

Renouatio, & ampliatio eiusdem Decreti.

De Nouitijs ad habitum Regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. Clemens Diuina, prouidentia Papa VIII. cum iam dudum animaduerneret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris debitum, uigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsq. præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam recedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quo magis varijs constitutionibus malè affectas radices euellere, studet, eo magis infructuosa nouiter profitentium germina quotidie succrescant: cumq. ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusq. Religionis institutū redigendi, districtè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitū Religionis admitteretur, profiteretur, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinerentur, in quibus posset commodius Regularis obser-

ſeruantia, ſecundùm reformationem à Sanctitate
 Sua inſtitutam introduci: Quia tamen non obſtan-
 te tali prohibitione, cognouit nonnullos fuiſſe, vel
 ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate ſua,
 obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum noti-
 tiam non peruenerit, receptos, & admiſſos, præ-
 ter mentis ſuæ ſenſum: Ideirco huic malo proſpi-
 cere volens, ne licentiarum, ac facultatum huius-
 modi ſubreptione, ac prætextu, Decretum Sancti-
 tatis ſuæ irritum reddatur; Nunc denuò diſtrictè
 præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Pro-
 uincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus,
 Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcun-
 que, cæteriſq. Superioribus, Conuentuum, Mona-
 ſteriorum, ac Domorum quocunq. nomine ap-
 pellentur, intra Italiam, & Inſularum adiacentium
 fines exiſtentium, quorumcunq. Ordinum Men-
 dicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen
 Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori
 Obſeruantia, necnon Capuccinorum Sancti Fran-
 ciſci, Reformatorum Sancti Dominici, Diſcalcea-
 torum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum
 Congregationis Fulienſis, Ciſterciensis Ordinis, ac
 Eremitarum Eremi Camaldulenſis, & Montis Co-
 ronæ Clericorum Regularium Theatinorum, So-
 cietatis IESV, Sancti Pauli Decollati, & aliorum
 de Somascha, Miniſtrorum Infirmorum, reſpecti-
 uè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus,
 nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc
 iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad
 illa nullo modo extendi.) Ne ſub cuiuſuis licentiæ,
 &

& facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in forma Breuis dumtaxat, & non alias quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam conuersos, nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere vlllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino eijcere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impofterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcūque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hætenus permissione sua constituerit.

Cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat & annullat.

Vult

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Urbis publicatum ita predictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, privilegij, statutis, & constitutionibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. mensis Iunii 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium cuiuscunque Ordinis, & Instituti.

CLEMENS PAPA VIII.

3 **N**ullus omninò prætextu cuiuscunque privilegij, vel superioritatis, etiã Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem & Prædicatoribus Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimã impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentiã Superiores animadvertant ad præscriptũ Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerint, subtractione.

Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientie bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & Conuētibus habeatur, ad quã Fratres omniũ cōueniãt, eaq. absoluta, mutua collatione

ne

ne circa explicatam doctrinā se se vtiliter exerceāt.

Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius obseruentur. Præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, elemosynas siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis, aliove ipsorū iusto labore, & causa, & quocūq; nomine acquisita, etiā si subsidia consanguineorū, aut priorū largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiā nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradātur, & Cōuentui incorporentur, atq; cū cæteris illius bonis redditibus, pecunijs, ac prouētibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus quicunque illi sint, vllō pacto liceat eiusdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad vsufructum, vel vsu, administrationem aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Quin præmissorū aliquo deliquerit, pēnas, nedū à Concil. Trident. præscriptas; sed alias quoq; multo grauiores, Superiorū arbitrio imponēdas, incurrat.

7 Nulla quorūcūq; Superiorum dispensatio, nulla licentia quantū ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ & pēnæ ab eiusdem Cōcilij Decretis impositæ & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiā si Superiores asseuerent

hu-

huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quib. in ea re fidē minimē adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparatur, & omnino uniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat: ita ut nihil superflui admittat; nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.

9 Quaecunque Fratrum vestes, siue laneae, siue lineae, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari oportune possint.

10 Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (ut aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum utatur, villo modo afferri possit, si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimentum percipiat, nisi panem, & aquam.

11 Superiores omnes, etiam Generali, qui redditus, aut praestiores peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad praescriptum Regulae, & Constitutionum suppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque.

nemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demādetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, velut bonus dispensator provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13 Cæterum hi tres tam impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatoribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, presentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum aduenerint: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem corā tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suæ administrationis tam publicæ, quam priuatae rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14 In vnoquoque Conuentu, Fratrum is tantum deinceps constituatur, & impofterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex
com-

communibus consuetis, vel etiam singulorum elemosynis, alij suè quibuscunque obventionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter afferuentur.

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vlllo modo possint, omninò interdiciamus, & prohibemus, decernentes irritum &c. Si quis autem contra præsumserit attentare, eo ipso omni gradu, officioq. priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

16 Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.

17 Si alicui ex necessaria causa. Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi minister, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit laicus conuersus.

18 Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuo, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianua custodiendæ semper assistat, eamq. nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaq. singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumq.

exi-

exituro adiungat, non petentis rogatu; sed arbitrio suo, neque eundem sapius. Licentiæ vero generales exeundi, nulli omnino concedantur.

20 Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22 Nullos Fratres Romam venires Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint.

23 Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumperit, voce actiua, & passiuâ biennio priuatus existat, subiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes referare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cū cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnibus parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformiq. suppellectili

Stili (vt præfertur) quemadmodum Religiosos de-
 cet, contentus sit: possit tamen Generalis alicui ex
 Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, &
 officij necessitatem id exigere cognouerit, alteram
 etiam cellam concedere.

27 Cellæ siue ædiculæ, quæ extra dormitorium
 separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad commu-
 nem vsum, & cōmoditatem Conuentus redigantur.

28 Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vlli-
 bi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad
 certam formam redigendi erunt.

29 In privatis cellis nulli camini permittantur:
 sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è
 parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus fa-
 cta, sed perpetuò duratura, videatur; cellis tamen
 Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicato-
 ris exceptis.

30 Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias pu-
 blicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt,
 muro ita obstruantur, vt omnino is prospectus im-
 pediatur.

31 Valetudinarium in singulis Conuentibus cer-
 to, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci
 situ ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, com-
 modissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum
 ægrotabunt, curentur, ne inde nisi recuperata sa-
 nitate abire permittantur. Qui vero infirmorum
 curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate,
 operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid
 ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recupe-
 randam pertineat.

32 Ineatur ratio, qua, sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

33 Nulli impostero ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per Sedem Apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

34 Curent Superiores, vt Constitutio interdicēs largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

35 Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta uocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel Successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porro supra dictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36 In Superiorum, & Officialiam omnium electionibus forma præscripta à Sacro Conc. Trid. &

Or-

Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentq. Electores secundum veritatem cuiusque conscientia, probiores, ac magis idoneos se electuros; ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiã curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoscunque Ordines, in quo seruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quam in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsq. spiritualibus exercitijs prudenter, ac

piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligantq. super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ vt faciliorem exitum sortiãtur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valde opportunũ erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regulariq. obseruantia.

39 Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscunq. Cõuentus, in qua distinctè adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet Frater præstare debeat, vt certo quoq; signo præmonitus, maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non aduersantur, inuiolatè custodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec, alia quæ pleniorẽ reformationem facient, edantur,) ab omnibus obseruari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuscunq. Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorũdem Ordinum Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum, singulis facultate illas declarandi, & aduersus eas vquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine vlla exceptione respectiuè incidisse.

Ne

41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis, eorum obseruatio quoquomodo differri possit, aut impedi-
 diri, volumus, vt post illorum publicationem in
 Conuentu, vel Monasterio cuiuslibet Ordinis de
 Vrbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Su-
 periores, cæterosq. quoscunque Fratres præsentis,
 statim: reliquos vero absentes citra montes, vnius
 mensis, vltra montes, trium mensium spatio ita
 ardent, ac si eorum singulis personaliter intimata
 fuissent.

42 Insuper mandamus, quòd Generales in singu-
 lis Conuentibus citra montes vnius mensis, vltra
 vero montes, trium mensium cursu Decreta supra-
 dicta publicari faciant, sub pœna priuationis Ge-
 neralatus, alijsq. arbitrio nostro imponendis. Da-
 tum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. mensis
 Iunij 1599.

Decretum illud, quo Fratres Romam petere
 cum Generalis, & Protectoris licentia dum-
 taxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Pro-
 uincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipse ex cau-
 sa communi totius Prouinciæ duntaxat faculta-
 tem huiusmodi facere valeat, declarauitq. pœnam
 priuationis vocis actiuæ, & passiuę contrafacienti-
 bus inflictam, Sanctitati Suæ reseruatam esse, in-
 terdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiã
 Generali, ac Protectori facultate illam moderandi,
 ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martij 1601.

Decretum fel. rec. Clementis Papa Octavi, super casum, reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandum.

Sanctissimus Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reservatio facultatis absoluendi Religiosos poenitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiaè maculas detegere formidant, adducere posset in aeternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem; Ideo, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regulariû Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio: Nocturna, ac furtiua Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Fal-

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat quam Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsemet subditus spontè, ac proprio motu id ab ijs perierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, ijque sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quâdo casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habue-

runt, ad exteriorē gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reſeruatis, à Confessarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiusmodi perpetrands cohibere poſſint.

Atque ita per quoscunq̄ Regularium Superiores, quicumque illi ſunt, obſeruari mandauit. Non obſtantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiusuis Concilij, & etiam generalis Decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis, aut Regulis in generalibus, ſeu prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & Cōſtitutionibus etiã Apoſtolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & conſeſſionibus quorumcunq̄; quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæterisq̄. in contrarium, facientibus quibuſcunq̄. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declarauit & declarat, vt ſi huiusmodi Regularium Confessarijs caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſoluere.

Formula concedendi facultatem pro Novitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa Octauus, cum
re.

regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum reuocare maximè cuperet, regularesq; omnes, vitam, moresq; suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum, victumque communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè obseruarent; generali Decreto, quod de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Nouitios recipere, aut quemquam ad professionem ante admitterent, quam à Sanctitate sua monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus obseruantia regularis vigeret. Nunc vero eadem Sanctitas sua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infra-scriptis Monasterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum esse numerum duntaxat eorum, qui vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis elemosynis sustentari ibi commodè possunt, atque in ijs omnia fideliter obseruari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vna cum cæteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel Pontificijs, etiam ad victum, vestitumque communem spectantibus (ipso Decreto, vt supra edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infra-scriptis Monasterijs, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atque ad professionem admittendi; modò tamen id ad præscriptum instructionis

tionis

tionis iussu Suae Sanctitatis editum, neq; alio modo fiat. Quoniam vero ea est Suae Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monasterijs, & Couentibus ad alendos Nouitios praefinitis, regularis obseruantia perpetuo retineatur, mandat, & praecipit, vt in ipsis praescriptus iam personarum numerus in posterum seruetur, nullusq. omnino Superior cuiusuis conditionis, personarum, & Nouitiorum numerum augere praesumat, ea poena proposita, vt in omnibus priuatis officijs, vocis actiuae, & passivae ius omne amittat. Vult denique Sanctitas sua huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicae hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, vt supra promulgato. Dat. Romae die, &c. Praescribitur vero numerus Sacerdotum..., Clericorum..., Nouitiorum..., Conuerforum autem ...

N. Visitationis, & Reformationis Apost. Sec.

Decretum super forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & professionem.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa VII. qui alias pro Regularis disciplinae restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad Regularem habitum Nouitios in posterum reciperent, receptosve ad professionem, admitterent, quousque in aliquibus cuiusuis Ordinis Monasterijs, seu Couentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitijs designa-

Agnarentur, & approbarentur) ad eius, quam pro-
 fessi sunt, Regulæ præscriptum, vitam, more sique
 restituerēt, & componerent; certior deinde factus
 quosdam omnium ferè Ordinum Conuentus, seu
 Monasteria ad pristinam illam regularem viuendi
 formam, & disciplinam, quam diutius desiderauerat,
 fuisse redacta: in eisdem Monasterijs, & Con-
 uentibus, vt Nouitiatus erigi, Nouitijque recipi
 possent, (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim,
 vt licentia à Congregatione Reformationis Apo-
 stolicæ prius obtenta esset) concessit, & ad illa de-
 signauit, & approbauit. Nunc volens vt ea, quæ
 pro Nouitiorum receptione, & institutione, de
 mandato Sanctitatis suæ præscripta fuerunt, in po-
 sterum accuratius, & exactius obseruentur, ultra
 formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti
 Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ super receptione
 Nouitiorum, decreuit, ac præsentis Decreti virtu-
 te mandauit, ne in Conuētibus, seu Monasterijs ad
 Nouitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ, seu d. Cō-
 gationis Reformationis licentia hæctenus designa-
 tis, & approbatis, seu in posterum designandis, &
 approbandis, Nouitij ad habitum recipi vllatenus
 possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatio-
 ne, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis,
 in quorum diœcesi Nouitiatus existunt, in quibus
 Nouitij recipiendi fuerint, expressè, & nominatim
 Nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt re-
 cipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gra-
 tis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam cō-
 cedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas
 Sua

Sua eosdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cæterasque qualitates in ipsis Nouitijs requisitas, obseruentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant; Ordinarios ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & iuxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui in admittendis ad habitum, & professionem, Nouitijs, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non seruauerint, aut Nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu, & loco, seu Monasterio, præterquam in hæctenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quouis modo contraxerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid secus, vel aliàs, quauis auctoritate à quouis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscunque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, die 19. Maij 1602. Pontificatus eiusdem S. D. N. Anno Vndecimo.

Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis Clementis eiusdem iussu editæ.

CUm ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandam, Nouitiorum institutio maximè utilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quam, vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis edueandis, atque instituendis. Idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in Magistri, & aliorum, ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis præsertim Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuscunque Ordinis, aut instituti constitutionibus continetur, tam in alijs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasterijs, & Conuentibus, hæc quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuo curent,

Primum, quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis

ha-

habitudine, moribus, & vita antea acta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauari, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam Constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsequutarum: illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, vt quibus in Monasterijs, & Conuentibus, ex Apostolica facultate Nouitiatus fuerint instituti, in ijs ad Religionem nullus imposterus admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorumq. Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta Decretum super forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, & ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præferat, vt minores, & suis temporibus, maiores Ordines, iuxta Decreta Sac. Concil. Trid. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expertus inuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum: & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu,

ritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuersi recipiendi, priusquã ad habitum regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuq. regulari, & alijs cuiusq. Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos verum, & oblatos, vt vocant, recipere; circa ipsorum oblatorum receptionem vnaquæq; Religio suas peculiare Constitutiones, specialiaq. instituta obserare teneatur.

Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteaactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quod vero ad loci qualitatem vniuscuiusq; Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus; habeatq. tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint; in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus

tus locus pro Magistro, eiusq. socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesq; Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in caeremonijs, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit, similis, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsius vero Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vlllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat; præterquam Magistro, eiusque socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quodcumque ingrediendum sibi necessario existimauerit: quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asseruetur, illiq. soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc alicui permitttere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsentem, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magistro socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatu regimē spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat: eliganturque tam Magister, quam socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri, Quòd, si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatu concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis, per Generalem, vel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Nouitiorum Magister, quam socius ab ijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigésimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione persistiterit: Socius verò trigésimum annum excedat, sintq. ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam antea actæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti,

O non

non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsum bonorum operum exemplum præbeant, ut ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quàm reuerentur, nec illis vnquam detrudere quicquam possint.

Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Nouitij omnes in regulari disciplina fedulò exerceantur, agnoscantque præcipuè diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiã, quæ vera sit, atque perfecta votorum sollemniũ, & quam necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientie puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mēibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis

circa

circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumq. silentium.

Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, vnusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Nouitorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per aliū ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorūdem Nouitorū cōfessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisq. diuinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales: modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Nouitiatum semel in hebdomada, vel in alterius saltem hebdomadibus longior statuatur; fiatque semper Magistro præsentem, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur, propensionem, scrutentur.

Non liceat eis, durante Nouitiatus, & probationis tempore, vna cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeūtes comitari.

Pro communibus, & proprijs cuiusque necessi-

ratibus, quæ accidere possunt, vnus ex Nouitijs ipsis, ætate, moribusque prouectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianux custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intra Nouitiatum committi poterit.

Cùm autem, licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda; quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eandem perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Christifidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum, iuxta cuiusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt: quod vt commodius fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesijs statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officijs actualiter occupati fuerint.

Tem-

Tempore verò probationis elapso, ij tantum, qui non solum religioſe perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti, nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimumſextum, quo vero ad Cōuerſos, vigefimumprimum exceſſerint) ad profeſſionem admittantur; Sed qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire; etiam durante tempore probationis non poſſint.

Superior cuiuſlibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit conſtitutus, particularē librum habeat, in quo vniuſcuiuſque Nouitij profeſſio regiſtretur, illamq. Nouitiuſ profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Conuerſus vero litterarum ignarus, profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerueturque liber, & cuſtodiat in Archiuo, vbi ſcripturæ ad Monasterium, ſeu Conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.

Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis vſus eſt receptus, declaratur, quòd licet decretum ſit, vt Nouitijs educandis certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiuſmodi Ordinum, in quibus filiationis vſus receptus eſt, eos, quos prænaratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios iuxta cuiuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicq. adſcriptos, cum iuxta præſen-

tes institutiones, & aliàs, seruatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint; ad loca Nouitiatuum, cum testimonialibus litteris transmittere, vbi tanquam dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, vt permissum est, exerceri debebunt.

Porro, ne loca vnius Monasterij, seu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere, pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimenterum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conuentibus, & Monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitiam in professorum numerum (sicut præmittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur: mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasterijs pro Nouitiatis assignatis locus aderit secundi Nouitiatus, siue Professorij, ab ea, quæ Nouitorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat; sin minus, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ
sua-

suarum Constitutionum, seu institutorum vigore, maioris temporis cursu novos professos intra Nouitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur, vt prædictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicauerint: quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruent antiquiores professi, ita quod in negotijs Monasteriorum, aut Conuentuum non se intrmittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibiq. permaneant, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenierint, vel saltem per triennium post professionem; quo etiam tempore poterunt, quinimo, & debebunt, litterarum studijs operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum prædictum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresq. pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros

certò sciant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19. Martij 1603.

Ant. Seneca Refor. Apost. Sec.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, Indictione septima, Pontificatus autem S. D. N. D. Urbani diuina prouidentia Papæ Octaui anno eius secundo, die vero vigesima sexta mensis Octobris, supradicta Decreta tam S. Congreg. Concilij, quàm san. mem. Clem. Oct. affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioan. Lateranen. & Principis Apostolorum, necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Iulium Marzitellium Cursores Sanctiss.

Brandimartes Latinus pro Mag. DD. Curs.

INDEX